101

Barlæo. (288)

Quanto distamus intervallo, mi Barlæe, quanto nec me audis nec a me audiveris! Instar hoc Amphitruoniæ noctis est, quam certatim edormimimus. Tu quam facilè expergefias nescio. ego ecce vigilo, et hanc a veterno ἀνάστασιν viribus divini Te, quas unà sæpè experti sumus, acceptam fero. Amavi hactenus nobile filiam, et dilexi: nunc et veneror et omni majore cultu quo hæc sublunaria licet, prosequor. nempe quod modicè sumptum Te te mihi repræsentaverit, et hos qualescunque scazontes dictaverit, quibus de Te acte quid sentiam pro modulo exprimendi animus et facultas data fuit. Vale atque illustres Te potores Hooftium Vossium Carpenderium, Specimine ~~inter Te et te a me~~ Te veniente die Te decedente ~~libe~~ libentes, inter Te, et te a me saluta. Scribo Rhenoberce IX Augusti CIƆIƆCXL.

Smithio. Amplissime ac doctissime Smithi. (289)

Redeunt ad te dissertationis pro Noviomago tria elegantissima capita; quibus si me persuasum fatear, ut Patriæ Metropoleos rudera quæram ad radices Cliviæ montium, jam ~~Batavum~~ debellare cœpisti, qui fortasse sine sectatore a te non stabit, et caussa est, cur pulcherrimo instituto summam manum libentius imponas: si non fateor, si ἐπέχω, si amplius delibe-randum censeo, vides plus caussæ esse, cur acrius instes, totisque superfusis copiis efficias, quod cohortes paucæ vel manipuli nequivere. Sed fateor magis, Mi Smithi, et ingenuè fatendo niti has conjecturas doctissimis pruden-tissimisque argumentis, summopere a te peto, ut nullis te diverti sinas à tam nobili argumento, publicis privatisve negotiis, quibus nimirum, dum egregie attendis et vacas, facis tamen quod collegæ faciunt, et post te facturi sunt non pauci mortales. Hanc verò telam dum pertexis, solus præstas quod ab omni posteritate frustrà speremus. Con-gestâ quidem tantâ veterum nummorum, ac cæteræ supellectilis tam præstanti copiâ, ut si quos scriptione tam latinâ non convincas ipsis Romanorum fibulis vincias, stilis confodias, annulis includas, toto denique armario ponderibusque Romanis obrutos assentire, et penè in ipsis nummis legere cogas ad antiquas lampades, ab hoc solo incæn-to Batavorum oppido Cl: Civilem in Bataviam suam conces-sisse. Quod cum per te stet, ut a doctis æquè atque indoctis credatur